



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

Praefatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)



LIBER SECVN
DVS DE MONACHIS.

P R A E F A T I O.

DISSERVIMVS LIBRO SUPERIORE *de Episcopis, & Clericis* est, *de prima & nobilissima parte corporis Ecclesiastici.* Sequitur, *de altera parte Ecclesiae, hoc est, de iis hominibus differamus, qui Evangelica Christi sequuti consilia, vitae genus arctioris, ac sublimioris instituta, quam aut lex diuina, vel humana praescribit, aut etiam multorum mortalium infirmitas patitur.* De quo hominum genere disputationem ingrediar, si pauca prius de huius ipsius disputationis utilitate, vel potius necessitate, dixero.

Quaquam enim monastica vitae institutio non ad omnes Christianos pertinet, defensionem tam magnam, & tam excellentis partis Catholicae nostrae Ecclesiae, ad eos omnes communitur pertinet, qui Christianam Rempub. saluam capiunt. Heretici enim dum hanc partem petunt, ac ut monasticen vituperent, portentosa mendacia

cia quotidie de Monachis fingunt, & quacunque oblata occasione in Monachos inuehantur, atque eos in odium vulgi rapiunt, & primarios Antichristi satellites vocant, non eò certè spectant, ut ordines solum hominum religiosorum disiciant, monasticenq; de medio tollant, sed ut Ecclesiam totam hac ratione perturbent, ac ledant, eamq; (si fieri possit) à fundamentis evertant. Intelligunt enim, si contra Monachos causam obtinuerint, id est, si populo Christiano persuaserint, non à Christo institutos, sed à malo Damone excogitatos ordines religiosorum fuisse, se continuò id effecturos, ut uniuersa Ecclesia, qua vna voce, & consensu tot iam seculis monasticen approbavit, vano errore delusa, pro Christo Antichristum coluisse, & à recta fidei, veraq; doctrina tramite quàm longissimè aberrasse videatur.

Neg; verò nouum est hoc hæreticorum aduersus Monachos bellum, neg; recens mali Demonis artificium, per monastica vitæ oppugnationem Ecclesiam uniuersam petere. Sicut enim quotquot fuerunt unquam p̄y scriptores, tum sermonibus, tum scriptis libris, hoc genus vitæ laudibus in cælum tollere conati sunt, sic nulli ferè unquam hæretici exstiterunt, qui vel nomen Monachorum patienter audire potuerint:

Quando

Quando vos (*inquit B. Augustinus in Psal. 133.*) rectè hæreticis de Circumcellionibus insultare cœperitis, vt erubescendo sanetur: illi vobis insultant de Monachis. Primum, si comparandi sunt, vos videte; quod opus est, vt verbis nostris comparentur ebriosis cum sobriis, præcipientes cum confidentibus, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis? sed tamen dicere conueniunt, quid sibi vult nomē Monachorum? quanto meliùs dicimus nos, quid sibi vult nomen Circumcellionum? *Et respondit Augustinus, de Petiliano hæreticorum principe, idem Augustinus libro aduersus Petilianum 3. cap. 40.* Deinceps, *inquit*, perrexit ore meo dico in vituperationem Monasteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit institutum.

Iam verò ARIANI tanto furore bacchantur in Monachos, vt ipsas etiam desertissimas solitudines, locaq; maximè abdita & recondita penetrarent, vt Monachos quærentes raperent, atque occiderent. Sic enim de Lucio Episcopo Ariano scribit Ruffinus lib. histor. 11. cap. 3. Inde, *inquit*, ad monasteria furoris sui arma conuertit, vastat eremum, & bella quiescentibus indicit. Ter mille simul, aut

aut eo ampliùs, viros per totam solitudinem secreta, & solitaria habitatione dispersos, oppugnare pariter aggreditur. Mittit armatam equitum ac peditum manum: Tribunos, Præpositos, & bellorum Duces, tanquam aduersus Barbaros pugnaturus, legit. Qui cùm venissent, nouam belli speciem vident, hostes suos gladiis obiectare ceruices, & nihil aliud dicere, nisi; Amice, ad quid venisti? *De VALENTE Imperatore pariter Ariano in Chronico B. Hieronymus annotauit, vsque aded illum odisse Monachos, vt lege lata, Monachos omnes aut arma sumere, militesq; fieri, aut fustibus cadi, maetra-riq; decreuerit.*

Sed nimis longum esset, si omnia veterum hereticorum, ac præsertim Imperatoris Constantini Copronymi, & ceterorum veterum Iconomachorum in sanctos illos Monachos, aut improbè dicta, aut crudeliter facta commemorarem. Quid igitur, vt ad posteriora tempora descendamus, Ioannes VVICLEF de Religiosorum ordinibus sensit? nempe omnes ad vnum à Diabolo in Ecclesiam introductos, & Augustinum, Benedictum, Bernardum ad inferos esse damnatos, nisi pœnitentiam egerint, quòd Monachi, & Patres Monachorum fuerint. Sic enim ha-
bent

bent articuli eius postremi in Concilio apud
 Constantiam reprobati. Quid Martinus
THEYRS? nōne tertio quoque verbo in
 omnibus scriptis suis, quæ sanè quàm plurimè
 existant, monasticen lacerat? Ac, ut
 prætermittam, quæ suo loco postea afferentur
 certè in epithalamio illo suo, plus quàm credi
 potest, obscæno & sordido, quod in caput septimæ
 epistolæ prioris ad Corinthios scripsit, qui
 librem vitam in monasteriis ducunt, eos omni
 idolo Moloch corpora sua cremare confirmant
 Et in eodem libro, statum religionis nihil
 vult, sed Ethnicum, terrenum, secularem,
 veluti lutum esse dicit, cum è contrario statu
 coniugij spirituales, cœlestem, diuinum, aureum
 esse prædicet. Ioannes CALVINUS in
 libro Institut. 4. cap. 13. rem totam breuiter
 definit, ut esse velit monasteria lupanaria,
 retia Satana; Monachos omnes
 sophystas cucullatos, qui ab Ecclesia dissep-
 nem fecerint, & se totos Diabolo consecraverint.
 PHILIPPVS Melanchthon in Apologia
 Confessione Augustana, artic. de votis,
 atque opera Monachorum nunc obseruationes
 fatuas, nunc hypocriticas simulationes, nunc
 traditiones Pharisaicas atq; Mahumeticas
 vocat. MAGDEBURGENSES Centuria-

tores in 10. cap. 4. Centur. posteaquam multorum veterum Eremitarum vitas & res gestas breuiter descripserunt, in hæc verba sermonem claudunt: Sed quis, inquiunt, non hæc hominum monstra excretur, vt inimicos humanæ societatis, & contra totam secundam tabulam delinquentes. Vt illud interim omittam, quòd partem non modicam ingentium illorum voluminum in Monachorum vituperatione consumunt, quos ubique hypocrisis, ubique superstitionis, ubique impietatis accusant.

Sed quid, obsecro, Lutheranos in tam apertum, tamq̃ implacabile bellum contra Monachos impulit? Quid eis Monachi nocuerunt? quid rapuerunt? quid illis debent? Nõne, si saperent, ingentes gratias potius regno Monachorum, vt ipsi vocant, agere deberent? Ex quo nimirum Apostolus ille Germanicus, tertius Helias, totq̃ alij illustres Prophetae, atque Euangelistæ, tanquam ex equo Troiano prodierunt. Vnde enim habent Lutherum, Pomeranum, Bucerum, Pellicanum, Munsterum, Menium, Musculum, Miconium, Oecolampadium, Martyrem, Ochinum? Nõne ex monasteriis? Quanquam si verum fateri volumus, non monasteria tot nobis hæreticos pepererunt, sed ipsa potius

potius pestis hereseos monasteriorum desertores fecit.

Sed quid miramur, si filij tenebrarum lucem religionis æquis oculis intueri non queunt: si desertores militia, castro Sanctorum oderunt: fugitivi ac perfidi, stantes in acie commilitones suos exhorrent: si denique principis tenebrarum, primiq; cælestis militiae desertoris ac traiectionis fugæ, discipuli eius ac filij, opera imitantur? Nam (ut apud Athanasium magnus ait Antonium) omnes quidem Christianos Diabolus odit, sed probos Monachos, Christi que virgines tolerare nullo modo potest. Hinc etiam voces Abbatis Sereni apud Castianum collatæ, cap. 23. In ipsis, inquit, cœnobiis, in quibus commorabantur octo, vel decem, ita Demonum atrocitas grassabatur, & frequenter ac sensibiles sentiebantur aggressus, ut non auderent omnes pariter noctibus dormire, sed vicissim aliis degustantibus somnum, alij vigilias celebrantes, Psalmis & orationibus, seu lectionibus inhærebant, cumque illos ad soporem naturæ necessitas inuitaret, expergefactis ad eorum, qui dormituri erant, custodiam, similiter excubiæ tradebantur.

Habetis, quid heretici tam veteres, quam recentes,

recentes, & quid ipse etiam pater eorum Diabolus de Monachis censeat. Nunc de iisdem quid censeant Patres, quid etiam Christus, & Deus, meritò à me requiri, atque expectari video. Sed quoniam plurima huius generis testimonia in ipsa Disputatione sæpius nobis erunt necessariò afferenda: nunc duobus tantùm duorum clarissimorum utriusque Ecclesie luminum testimoniis contentus, rem totam, quàm brevissimè fieri poterit, expediam. Prodeat igitur imprimis totius Græciæ eximium decus S. Ioannes CHRYSOSTOMUS; is enim & pro vita monastica defensione tribus integris libris acerrimè decertavit, & ubique solitudines, ac monasteria ita splendidè, magnificeq; laudat, ut illa regnis atque imperiis, & ipso etiam paradiso, ac cælo non dubitet antepone. Denique homil. 8. in Matth. Si quis, inquit, nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso prorsus omnem illum eremum videbit digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus: est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutumque cœlestium conuersionem in terris micantem. Atque hæc non in viris solum verum etiam in foeminis splendere

MMm conspi-

conspicias. Non ita variis astrorum chris
 ris cœlum refulget, vt Ægyptus innume
 Monachorum, ac virginum distinguitur,
 que illustratur habitaculis. *Quanta est
 laus? & à quanto viro, quanta verborum
 estate profecta? Sed iam B. AVGVSTI
 INVM totius Occidentis clarissimum lumina
 diamus.*

*Is igitur in lib. de moribus Ecclesie i. cap.
 Monachorum vitam, tum Eremitarum, tum
 Cœnobarum, Manichæis perfectionem iacta
 tibus obiiciens: Nihil, inquit, de iis dicam,
 secretissimi penitus ab omni hominum
 conspectu, pane solo, qui eis per certa
 terualla temporum affertur, & aqua con
 tenti, desertissimas terras incolunt, perfu
 entes colloquio Dei, cui puris mentibus
 inhæserunt, & eius pulchritudinis con
 templatione beatissimi, quæ nisi Sancto
 rum intellectu percipi non potest: Nihil
 (inquam) de his loquar, videntur enim
 nonnullis res humanas plus quam opor
 teret, deseruisse, non intelligentibus, quæ
 tum nobis eorum animus in orationibus
 profit, & vita ad exemplum, quorum cor
 pora videre non sinimur. Sed hinc dispu
 tare longum & superuacaneum puto; nam
 hoc*

hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum & honorandum videtur, oratione nostra videri quâ potest? Sed si hoc excedat nostram tolerantiam, quis non illos miretur, & prædicet, qui contemptis atque disertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla pernicacia turbulenti, nulla inuidencia liuidi: sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam & intensissimam in Deum, grauisimum ipsi munus offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium; nemo cuiquam onerosus est. Patres verò non solum sanctissimi moribus, sed etiam diuina doctrina excellentissimi, nulla superbia consulunt his, quos filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna eorum in obtemperando voluntate. *Ac demum post alia multa finem faciens, ait: Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque dignè valeo; & vereor, ne iudicare videat, per se ipsum*

ipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitate cothurnum etiam laudatoris addendum putauero. *Quàm dissimilia sunt hæc verba Catholicorum Patrum iis, quæ ex Lutheri & Caluino paulò antè recitauimus? nimirum, ibi fides, ibi perfidia; hîc sapientia, ibi stultitia; hîc grauitas, ibi furor; hîc Deus, ibi Diabolus loquatur.*

Neque verò Deus per voces & scripturæ Catholicorum Patrum, sed etiam ipse se sanctitati, atque præstantiæ ordinum Religiosorum testimonium tulit. Quid enim de vita genere Deus censeat, testantur improbi diuina illa, amplissimaq; promissiones, partim in Prophetis, partim in Euangelis constant, quibus (Matth. 19. Marci 10. Lucæ 12. Isaia 56.) centuplum in hoc seculo; sedes honoraria in iudicio; locus & nomen in regno celorum maius, atque nobilius, quàm filiorum & filiarum sit, huius disciplinæ cultoribus Dominus pollicetur: testantur deinde hoc idem diuina signa, atque prodigia. Certè enim post Apostolica tempora splendore maximorum signorum iudicio orbis terræ, semper clarissimi habiti sunt magnus Antonius, uterq; Macharius, Hilarion, Benedictus, Bernardus, Franciscus, Dominicus.

At ij omnes sine controuersia professione Monachi fuerunt.

Quanta igitur, & quàm proiecta est audacia, sanctissima instituta, à Deo ipso, de cælo signis, atque prodigiis clamante, & approbante, confirmata, adhuc tamen animis obfirmatis contemnere, improbare, reiicere, conspuere, lacerare? Vt interim omittam, quòd hæc ipsa instituta longè antè Helias & Ioannes adumbrarunt, Christus consuluit, Apostoli coluerunt, Sancti ferè omnes adamarunt. Exceptis enim sacris Martyribus, rari omnino in numerum Sanctorum relati leguntur, qui ex Monasteriis non prodierint. Vt mihi iam monastica vitæ approbatio inter eas notas ac symbola, quibus Ecclesiam Catholicam ab omnium hereticorum conuenticulis internoscimus, atque distinguimus, principem locum tenere, clarissimèq; eminere videatur. Quod S. ille Alexandrina Ecclesie Episcopus Petrus probè intellexit, cùm, auctore Theodoretò lib. hist. 4. cap. 20. ex eo potissimùm demonstrauit, Lucium quendam no Episcopum, non Catholicum, sed hereticum, hostem, lupum, & inuasorem esse, quòd eum nulli Monachi de more Ecclesie sacros Hymnos concinentes, ad solium Pontificale deduxerint. Existimabat enim magnus ille Ponti-

fex, ita partem vera Ecclesie esse ordi
Monachorum, ut Episcopus Ecclesie hab
ri non posset, qui secum Monachos habere
noluisset.

Qua cum ita sint, intelligi profecto fac
potest, ita causam Monachorum cum Ecc
siae causa esse coniunctam, ut nemo unquam
Ecclesie hostis fuerit, qui non bellum eodem te
pore Monachis omnibus indixerit. Quare
nobis mater nostra Ecclesia Catholica petere
mihi videtur, ne nos ab hostibus diligenti
studioque vinci patiamur, sed quantum
dies ac noctes legendo & scribendo laboramus
aliquod Ecclesie, vel eius partibus ac membris
detrimentum afferant, tantum nos opere
laboris in omnibus Ecclesie partibus satis te
Etisq; conseruandis collocemus: praesertim cum
nos apud Deum clarissima iustitia, fideiq; cor
na, illos pœna sola perfidia atque scelerum apud
inferos maneat. Nunc ad rem ipsam propriam
accedamus.

Omnia hæc de Monachis Disputatio se
ptem precipuis capitibus, siue questionibus con
tinetur. Quibus questionibus una eademq;
pera explicabuntur nomina, origo, natura,
partes, proprietates, & actiones vitæ religio
sæ, & simul ad ea omnia respondebitur, quæ ad
uersarij

uersarij nostri in Monachis & eorum ordinibus reprehendunt.

PRIMA igitur quaestio erit de origine, ratione, & varietate Religionum. Nec enim verentur aduersarij, asserere ordines Religiosorum, rem esse recens in Ecclesia inuectam; & idem esse dicere: Ego sum ordinis B. Augustini, ego Benedicti, ego Dominici, ego Francisci, ac dicere; Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cepha. quod Apostolus in Corinthiis grauissimè reprehendit, ut etiam illos propterea seditionis; schismatis, atq; hareseos notare non vereatur.

SECUNDA quaestio erit de consiliis Evangelicis, quæ sunt quasi bases & fundamenta totius monastici adificij. Horrent enim heretici ad vocem consiliorum, & operum supererogationis, tanquam ad ingentem blasphemiam. Id quod necessariò faciunt; cum enim arbitrentur ipsi, præcepta diuina non posse à quoquam, tametsi iustissimo, unquam impleri, non possunt non vehementer mirari, cum nos dicere audiunt, veros religiosos non solum præcepta, sed etiam consilia adimplere, & plus facere, quam Deus præcepit.

TERTIA quaestio erit de votis monasticis. Cum enim aduersarij putent, nihil Deo placere,

MMm 4 nisi,

nisi quod ipse fieri iussit, omnia vota, qua de
 bus à Deo non imperatis suscipiuntur, tanqua
 superstiosa, & inania reprehēdunt: immò ap
 tē votum continentia sacrificium idoli Moloch
 votum paupertatis meram stultitiam, votum
 obedientia summam temeritatem esse volunt.

QUARTA questio erit de votis, quae filij
 uitis parentibus, & coniuges inuito altero con
 ge, aliquando suscipiunt. Nam cum Deus ma
 dauerit, honorari parentes, & non separari
 Deus coniunxit, grauiter nos accusant, quod
 lios, inuitis parētibus, Monachos fieri patiamur
 & Matrimonia, licet nondum consummata,
 men rata & firma, propter monasticam prof
 sionem dissoluamus.

QUINTA de solitudine, & summa
 seueritate Eremitarum. Eremitas enim
 uersarij vrsos ac misanthropos vocant propter
 solitudinem: propter eam autem seueritatem,
 qua plurimi eorum nunquam cilicium exar
 bant, solis radicibus vescebantur, humi co
 bantes somnum breuissimum capiebant: non
 nulli etiam integris hebdomadibus ieiunabant:
 alij ferreis cathenis se onerabant: quidam in
 editis columnis perpetuò consistebant; eos om
 nes execrantur, tanquam sui ipsorum homici
 das, & illius Apostolici præcepti transgressores:
 Habeto

Habeto honorem corpori; quo precepto nul-
lum ipsi religiosius ac sanctius colunt.

S E X T A de habitu, & tonsura. Miram enim
 superstitionem in eo positam esse credunt, quod
 Monachi semper idem vestimenti genus, eadem
 forma, eodem colore, eadem magnitudine gerāt,
 & eodem semper modo, qui sunt eiusdem ordinis,
 tondeantur.

S E P T I M A de opere Monachorum. Existi-
 mant enim aduersarij, de natura et ratione vere
 monastica professionis esse, ut Monachi omnes
 labore manuum victum querant, & idcirco eos
 omnes, qui id non faciunt, tanquā sua ipsius pro-
 fessionis corruptores, falsosq; ac degeneres Mo-
 nachos arguunt, & malum, & illicitum esse do-
 cent, tam sponte sua ad mendicitatem deuenire,
 quā mendicatione victum colligere.

Scripserunt de hoc argumento S. Ioannes
 Chrysostomus in tribus libris cōtra vituperato-
 res vitæ monastica; Ioannes Cassianus in libris
 de institutis Cænobiorum; Alberius Magnus
 in defensorio mendicantium; B. Thomas in opu-
 sculo 19. quod est contra impugnantes religio-
 nem; B. Bonaventura in Apologia pauperum; &
 libro de paupertate Christi; Thomas Waldenjs
 lib. 3. & 4. de doctrina fidei, & de sacramentali-
 bus, tit. 9. Albertus Pighius controuersia 14.

MMm 5

Alphes-

Alphonsus Viruesius Philippica 20. Alphonsus à Castro in libris contra hareses, verbo Meticitas, verbo Monachus, & verbo Votum; Ioannes Bunderius in suo compendio concertationis. tit. 34. Conradus Koellim in euerfione epithetumij Lutherani; Ioannes à Dauentria in refutatione Confessionis Augustanae; Ioannes Eck in Enchiridio, & in conclusionibus de voto Franciscus Orantius lib. 5. de locis Catholicis Gaspar Schatzgerus lib. 1. cap. ult. ei lib. 2. cap. suarum Controuersiarum; Ioannes Hoffmeyrus contra art. 27. Confessionis Augustanae; Iacobus Latomus libro de Monachorum institutis & votis; Ioannes Cochleus libro de votis, & discussione art. 27. Confessionis Augustanae; docus Clichtouæw lib. 3. Antilutheri; Alanus Copus Dialogo 2. Mattheus Galenus de origine Monastices; Richardus Cœnomannus in antidocto ad censuram Erasmi in regulam S. Augustini; Franciscus Turrianus libris duobus de votis

monasticis; Gulielmus Lindanus libro 4. cap. 98. Panoplie.
 Corpus despectus uespitig
 tegitur, et elatione
 cordis inuicem superamus.
 Greg. Eptis. 4. ep. 32.



CAPVT